

Thomas de ista diversitate volitionis in Deo dicit in hac prima parte, q. xx, art. iii: « Quod ex parte actus divini non datur magis et minus, sed omnia amat uno et simplici actu voluntatis et semper eodem modo se habente. » Addit autem solutione ad iii: « Quod intelligere et velle significant solum actus, non autem in sua significatione includunt aliqua objecta, ex quorum diversitate possit dici Deus magis scire aut velle, sicut circa amorem dictum est. » Ecce quomodo D. Thomas ponit ipsum actum, qui est velle, ita absolutum, quod in sua significatione non includit objecta (utique creata: nam increatum est ipsummet velle) ita quod ex diversitate objectorum sumatur diversitas magis volendi unum objectum, quam aliud. Et eadem est ratio volendi unum, et nolendi aliud, quia ut diximus, illud quod est magis volitum uni, est nolitum alteri, quod est minus volitum: ergo antecedenter ad objecta sic diversa, et variata est in Deo magis velle unius, et minus alterius, et consequenter volitio unius, et nolitio alterius in quantum id quod magis est volitum uni non est volitum alteri minus volito. Ergo neque sumitur ista intrinseca distinctio volitionis a nolitione ex ipso respectu rationis ad objecta aut inclusione illorum in significatione talis velle: ergo ex absoluta actualitate Dei intrinseca, quia si non ex respectu et ordine ad objecta, ex absoluta ergo ratione sui ante objecta ut a ratione formali volitionis et nolitionis. Non autem ita absoluta quod non habeat pro effectu ipsa objecta, et immutat illa, quia ut dicit ipse D. Thomas loco supra allegato in hac questione a. iii ad v: « Voluntas divina quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. » Ubi pondero dicere D.

Thomam quod necessitatem habet ex se, determinationem autem non a volito, sed ad volitum. Est ergo illa volitio in determinando se, absoluta a volito ut ab objecto seu ratione formali, aut motiva, non absoluta ab illo, ut a termino, seu effectu, quem utique immutat; et ad illum dicit habitudinem non necessariam, quia non indiget illo etiam ut determinet se, sed volitum indiget volitione Dei et ita ipse actus qui est ex se actus secundus volitionis et nolitionis quantum ad entitatem actus fundat habitudinem non necessariam ad objectum sibi in adæquatum et non sibi necessarium, et quia in adæquatum, objectum est, alterum respectum tantum terminat, scilicet vel volitionis vel nolitionis, immutato actu ex parte Dei, et tota immutatione solum se tenente ex parte creaturæ. Et ex ista terminatione ad objectum fit denominatio illius actus, quod sit determinate volitio, vel determinate nolitio, prout unum ex illis inadæquatis respectibus fundat, et determinat ex se erga objectum.

IX. Et ex hoc sumi potest fundamentum hujus assertionis, cujus tota difficultas est, quomodo possit iste actus in se necessarius et immutatus existens fundare habitudinem illam rationis, sine qua non est volitio determinata, ut distinguitur a nolitione, et tamen illa habitudo est contingens, et deesse potuit Deo, nec tamen fundatur in ipsa mutatione creaturæ, sed antecedit illam, quia causat talem mutationem, in quo distinguitur ab habitudine quam dicit productio, vel creatio creaturæ, aut terminatio divinæ Personæ ad naturam creatam, quia in istis habitudo rationis fundatur in ipsa mutatione creaturæ, et ratione ejus convenit Deo, quod nos non admitimus in divina volitione ut determinata est, et a nolitione distingui-

tur. Non potest autem fundari in ipso actu volitionis ex parte Dei, quia de se tam est volitio, quam nolitio objecti, et sic cum sit indifferens ad utrumque, non potest esse ratio fundandi determinate hanc præ illa: nec potest reddi ratio hujus, quare ille actus magis vult, quam non vult, nisi forte reddatur causa formalis, ideo vult quia vult, seu quia est volitio, nos autem non quærimus causam formalem, quæ notissima est, et in nobis etiam datur: volumus enim, et quia habemus volitionem, sed de fundamentali et determinativa quasi effective ad volitionem potius quam nolitionem, quænam illa sit in Deo?

X. Ad evincendam igitur hanc difficultatem probamus et explicamus fundamentum nostræ assertionis, quia divina volitio comparatur ad volita creata, non supponendo ipsa in ratione objecti, sed constituendo et participando creaturæ quod sit objectum, non quidem sibi adæquatum et necessarium, sed non necessarium, nec sibi requisitum, sed inadæquatum. Ergo actus ille divinus, qui simul in sua entitate est volitio et nolitio in actu secundo respectu creaturæ per hoc solum denominatur volitio potius quam nolitio, quia redditur creatura constituta in esse objecti participati ab ipso, sed inadæquate et deficienter, quia bonum limitatum est, ita quod tota determinatio volitionis est actus ipse ut immutans et reddens creaturam in se objectum volitionis. Unde autem ipse actus qui indifferenter sic potest immutare objectum determinetur, ut potius volitione tangat quam nolitione? Dicimus quod a nullo determinatur, sed ex seipso id facit, quia est pure determinans, et primum determinans, et sic passive a nullo determinatur, sed pure active determinat.

XI. Antecedens primum est cer-

THEOLOGIA III.

tum, et communiter observatum a D. Thoma, qui in hoc ponit differentiam inter nostram voluntatem et divinam, quod nostra supponit bonitatem quam amet, divina participat et causat, et videri potest hic q. xx, a. iv, idque manifeste constat quia bonitas creaturæ, et esse illius quod amat est bonum, non ex se, sed ex participatione, amor autem Dei est amor ex se, non ex participatione objecti: ergo bonitas creaturæ non est diffusiva sui in Deum, sed diffusa ex Deo, nec ejus amorem antecedens, sed ab ipso participatum: nec enim potest aliunde participari quam ab amore ipso Dei, quia libere, et non necessario participatur: ergo ex voluntate et non ex necessitate. Non autem participat et diffundit in creaturam tantam bonitatem, et esse, sicut habet in se, sed limitatum: ergo constituit objectum inadæquatum sibi, et non implens seu trahens ad plenum voluntatem quia est objectum minus se et deficientes a se: ergo ex hac sola parte habitudo et respicientia voluntatis illius ad tale objectum est non necessaria, sed libera, licet orta ex actu in se entitative necessario, quia tangit et causat objectum incapax necessariæ habitudinis, quia inadæquatum et deficientes in se: sicut sol, licet necessario effundat lucem, contingenter tamen per eam producit herbam vel aurum, quia herba deficienter oritur ex luce solis et dependenter a causis impedibilibus, et si sol cum cognitione talis contingentiæ herbæ diffunderet lucem, voluntarie illam produceret.

Consequentia argumenti probatur, quia illa determinatio actus, ut sit volitio potius quam nolitio, non determinatur ab ipso objecto, quia non est indifferentia passiva, indigens externa determinatione, et præsertim ab objecto creato orta,

nec est actus in se contingens, qui ab alio indigeat determinari, sed in se habet totam necessitatem et actualitatem volitionis et nolitionis absolute, et independenter ab objecto movente et determinante se: ergo per hoc solum quod talis actus sit de facto immutans objectum seu constituens illud in rationi boni, et volibilis determinate est volitio potius quam nolitio. Et quia constituit illud objectum in esse objecti volibilis per participationem sui limitatam, et non adæquatam ad plenum voluntati, ideo habitudo illa ad objectum non solum in ratione producti, sed etiam in esse voliti, necessaria non est; sufficit enim ad contingentiam hanc, et libertatem quod ex parte unius extremi attingatur aliquid contingens et inadæquatam voluntati, ut actus ille qui in sua perfectione et actualitate est necessarius, in attingentia et derivatione seu participatione illius objecti sit contingens seu liber. In quo notanda est insignis doctrina D. Thomæ quæst. xxiii de verit. art. v ad 1, ubi inquit: « Quod ex voluntate sequitur aliquid eo modo, quo voluntas disponit, et non eo modo quo voluntas habet esse; sicut accidit in causis naturalibus, in quibus attenditur assimilatio quantum ad eandem conditionem causæ et causati; cum tamen in causis voluntariis attendatur assimilatio secundum quod in effectu impletur voluntas agentis. » Sic ergo quamvis esse illius actus volitionis et nolitionis sit necessarium, et in actu secundo, tamen potest sequi habitudo non necessaria, non propter esse actus, sed propter limitationem objecti, quod sibi non est adæquatam non minus in actu immanenti voluntatis erga objectum, quam in actu immutativo ad extra in objecto mutato, quia etiam actus immanens constituit illud in ratione objecti, et

in ratione objecti contingentis, quia limitati, et inadæquati sibi: totum enim objectum participat a voluntate Dei, nihil voluntas ab objecto. Et licet ille actus de se sit indifferens ad volendum, et nolendum, imo sit ipse actus volitionis et nolitionis, potest tamen fundare habitudinem volendi potius quam nolendi ex se ipso, quia non habet indifferentiam passivam, quæ indigeat alio superaddito ut determinate illam fundet, sed pure activa, imo et purus actus, et ita ex se potest fundare determinatam illam habitudinem: sed quia erga objectum contingens et limitatum se habet, illudque tale constituit, ideo non necessario fundat illam. Et sic dicitur operari secundum consilium voluntatis suæ: consilium enim determinat de agendis, sed voluntas divina, quia non determinatur passive ab objecto, et ab agendis, sed ipsa est summum et primum determinans, ipsa sibi est consilium; determinat autem non se, ut sit in se entitas volitionis, quia sic determinaretur volitio passive, sed ut objectum sit volitum, cum posset ab eodem actu reddi nolitum, quia objectum inadæquatam est et contingens, et utriusque capax.

## COROLLARIA EX DICTIS.

XII. Ex dictis colligo primo sententiam illam p. Suarez supra relatam valde accedere ad hanc mentem S. Thomæ quatenus totam rationem liberi, ut distinguitur a necessario, tribuit intrinsicæ perfectioni divinæ, et determinationem volitionis a nolitione, seu distinctionem, tribuit inadæquate explicationi ejusdem actualitatis in Deo erga objectum, quia ex se habet non necessario et adæquate se explicare quoad omnem rationem, et ideo con-

tingenter convenire. Quæ ultima pars si intelligatur de explicatione illius actualitatis, seu actus volendi et nolendi in ordine subjectum, quod afficit, et cui præbet formalem effectum, non potest intelligi, quod ex hoc parte possit se explicare vel non explicare, afficere vel non afficere contingenter, quia non est capax illud subjectum quod est Deus hujus contingentia, sed quidquid illi convenit, semper et necessario convenit; alias inciditur in opinionem supra attributam Cajetano, quod aliquid convenit Deo tamquam perfectio extensiva, quæ posset non convenire. Debet ergo intelligi de explicatione illius actualitatis, non in ordine ad subjectum quod afficiat, et reddat volentem, sed in ordine ad objectum quod efficiat, et reddat bonum et constitutum in esse objecti, ut sic denominetur Deus determinate volens potius quam nolens sicut ex natura sua semper et necessario habet actum, qui est operatio factiva rerum; non tamen semper necessario denominatur agens, et creans, sed tunc quando sequitur in tempore effectus: hoc enim est mirabile (si non esset, non esset divinum) et eminentissimum in Deo, quod cum sit in se immutabilis et mutet omnia, habet in se actum, qui est operatio, imo est ipse actus purus, et tamen non semper sequitur effectus, sed contingenter: quia sic subjicit sibi creaturas non necessitatus ad ipsas: quod advertit S. Thomas q. i de potentia, art. i ad viii et 1 p. q. xlvi, art. i ad x. Itaque explicatio illius actualitatis in ordine ad omnem suam rationem, quod non semper, et adæquate fiat, non debet intelligi per modum explicationis formæ, et effectuum formalium, et quasi in ordine ad subjectum, sed explicationis ad objectum, et quasi effective quatenus immutat illud, et consti-

tuit in ratione objecti et subjicit sibi, eo quod non comparatur objectum ad actum ut specificans, et movens illum, sed ut effectus secutus ad ipsum, contingenter tamen, quia objectum ipsum contingens et deficiens est et limitatum. Et hoc immutare et constituere objectum, realiter convenit actui, et per summam independentiam, et dominium in objectum, quia constituit illud, non constituitur ab eo; quod tamen nos per habitudinem explicamus quia aliter non possumus intelligere, quomodo actus se habeat erga objectum etiam quod constituitur, et posset non constituere. Et ita tandem videtur ipse Suarez sentire.

XIII. Secundo, colligo hanc indifferentiam, et libertatem esse in Deo maxime intrinsicam et formalem, versari autem circa objecta creata constituendo illa in esse objecti, non præsupponendo: unde ad hanc libertatem maxime conducit (nullo modo officit) immutabilitas, et necessitas illius ex parte subjecti. Patet hoc ex dictis, quia libertas illa consistit in maxima independentia, et summa actualitate Dei, qua non dependet a creaturis, etiam ut objectis, sed creaturas facit dependere a se sine necessitate ad ipsas, sed cum summo dominio: ergo non est maxime intima ista libertas. Patet, quia maxime independens ab omni extrinseco: ergo maxime intrinseca; et similiter est summa perfectio et actualitas: ergo maxime realis. Et quia hæc libertas non consistit in egressione a potentia, nec in aliqua potentialitate, qua possit recipere determinationem ab aliquo, sed in se est in puro actu, ex se immutat et determinat omnia, necessario fundatur in necessitate et immutabilitate actus, ex qua habet non aliunde determinari, sed ex se determinare omnia, et ex eo denominatur volens, quia determinat in objecto